ANTONIO GRAZIANI CLERICORUM SEMINARII VICETINI...

Digitized by Google

17

ANTONIO GRAZIANI

CLERICORUM SEMINARII

VICETINI RECTORI

IN ORDINEM CANONICORUM CATHEDRALIS ECCLESIÆ COOPTATO

HÆC CARMINA

ALUMNI EJUSDEM SEMINARII VARIIS MUNERIBUS PRÆFECTI

D. D. D.

VICETIÆ 1844.

TYPIS PICUTTI EDIT.

Digitized by Google

472

Digitized by Google

Antoni Canonice Reverendissime

Bene, ac feliciter hoc tempore, quo illustre Canonicorum hujus Cathedralis Ecclesiæ collegium, cui Tu ob merita adscriptus es, in maximo, et divinissimo humanae Redemptionis opere celebrando versatur, ad sacrum munus, sumptis amplissimæ dignitatis insignibus, obeundum aggrederis, ut ubi ipsa Religio excelsius, magnificentiusque elucet, inde tui ministerii exordium capias, quod magnæ pietatis est. Nos quidem quos Tu officiis hujus Seminarii, alios aliis, fungi voluisti, dum tibi de tanto honore gratulamur, virtutes tuas multas, et eximias enarrare, et laudibus ornare præ caeteris deberemus; sed cum id facere, ut par est opis nostrae non sit, et cum loquamur Tecum, modestia tua non patiatur, satis esse arbitramur, si omnium nostrum in te obsequium publica aliqua significatione, quaecumque ea sit, ut mos est hujus temporis, declaremus. Carmen itaque unum, et alterum Tibi sistimus, quorum primum ad rem esse videtur; cum in eo de Divinae Religionis mysteriis agatur, ad quorum memoriam, hisce diebus potissimum repetendam, in Templum ingrederis. Accipe, oramus, et obsecramus, hoc nostrae obedientiae, observantiae, amoris pignus, quae semper in nobis erga Te permansura esse profitemur.

Iidem Seminarii Alumni.

Digitized by Google

474

Digitized by Google

AMOR VERI AD DIVINAM RELIGIONEM COGNOSCENDAM COLENDAMQUE PERDUCIT.

CARMEN

Siderea immensi spectantem lumina mundi,
Telluremque, hominumque genus, camposque liquentes
Esse Deum me cuncta monent, rerumque potentem.
Quid jubeat? quæ Relligio? quæ sacra colenda?
Talia dum veri vivo succensus amore
Quærebam, extemplo cœlo delapsa per auras
Lux micat ante oculos, et mentis nubila solvit.
Te sequor, o! quocumque vocas: tu magna tuenti
Ostendis, mirisque moves mihi pectora monstris.
Ecce autem ille mihi sese mæstissimus offert,
Quem Solyma erecto fixerunt impia ligno.
Heu qualem aspicio! quam tetra morte peremptum!
Vulnificis, dirum!, fœdatum tempora spinis,
Tempora, nudatos lacerum crudeliter artus,
Transfossasque manus, plantasque, et pectus apertum.
Illum etiam miserans tum Sol deflevit ab æthra,
Flammantemque nigro texit velamine vultum:
Illum etiam insolito penitus tremefacta fragore
Tellus, et scissæ fleverunt murmure rupes.
Quis novus hic olim Solymis surrexerat Heros,
Quem tot jampridem Vates cecinere futurum?

Digitized by Google

Cui mare, cui venti, cui mors quoque paruit atra?
Cui muti vocem, surdi aures, lumina cæci
Debent, et firmo salierunt poplite claudi?
Quas leges dedit Ille viris, quæ sacra vocatis?
Jam populos tanto misceri nomine cerno,
Crudelemque necem, et spumantes sanguine circos.
En pueri, infirmique senes, matresque, virique
Ad flammam, horribilesque feras et funera læti
Adproperant, cupidi pro Christo fundere vitam.
Hostibus in mediis, frustraque furentibus armis,
Ah! Jesum cunctis resonant in montibus antra,
Jesum rura, urbisque viæ, stupefactaque regum
Aula refert. Deus ille Deus: Proh! missus ab alto
Vera Dei Soboles mortali apparuit ore
Mundi Servator, sævique eversor Averni.
Iam jam adsum tua jussa sequens, jam pectore toto
Te veneror Numen: nosco cælestia facta,
Divina eloquia, et numquam fallentia signa.
O lux terrarum! vindex o maxime veri!
Usque adeo humanos casus miseratus acerbos,
Pro nobis, ut tanta ferens Dominusque, Deusque
Occideres! tua ne ipse miser per funera vivo?
Vera ne jam nobis cœlesti in luce refulget
Relligio, mentemque novam, nova pectora condens
Attonitos mira spargit dulcedine sensus?
Hæc hæc una mihi cunctos servanda per annos:
Hæc opus una Dei, coeli omnipotentis alumnam
Se prodit, nitidoque aperitur vertice Numen.

Digitized by Google

Aspice divino tenebrosum ut lumine mundum
Vestierit, lætante polo, laetantibus astris:
Utque ex impuris divos, idolaque templis
Omnia sustulerit, pulcraque ab origine primum
Parva ingressa solo, mox inter sidera frontem
Condiderit. Tu magnificos, invicta triumphos
Per caedes, per damna refers, coeloque decoros
Infers victores: te celsa in sede tiranni,
Te saevi tremuere duces, teque abdita leti
Regna: nec inferno toties emissa barathro
Te turba errorum districtis terruit armis.
Salve, vera Dei cultrix, laus inclyta terris
Relligio, atque animo felix illabere nostro.
Mox Nilus, Tigrisque procul, Tanaisque nivalis,
Albis, et arctoae toto cum flumine ripae
Plaudentes tua facta canant, latumque per orbem
Exsurgat venerata sacras gens aurea leges.

Digitized by Google

FILIUS AD MATREM MORTE VIRI MÆRENTEM.

ELEGIA

Quid, Mater, turbata comas, et pallida vultum
Aspectas madidis nigra sepulcra genis ?
Mors tibi dira virum rapuit, Natoque parentem;
Eheu tres uno perdidit illa die !
Sed tu sume animum et saevum compesce dolorem,
Faustaque semotis finge futura malis.
En ego sum praesto, Mater, tibi sedula servit
Mens mea : sollicitam cur timor iste tenet ?
Cum Pater, ah ! memini, jam anima fugiente jaceret,
Hos ille extremos protulit ore sonos :
Serva, Nate, precor, magnum Genitricis amorem :
Haec morti superest unica cura meae.
O numquam oblito tales de pectore voces
Labentur : ferro non mihi corda rigent.
Sic vult ipse Deus : majores impigra proles
Audiat usque pio devenerata metu
Te testor, mihi dulce caput, cineresque meorum,
Me neque dilecti temnere jussa patris,
Laedere nec verbis ausum, dum viveret ille ;
Nec tibi me factis displicuisse meis.
Jam mihi sola manes, Mater, tibi debitus uni
Unam te spectat, te colit omnis amor.

Digitized by Google

Quanta novem pro me dederant tibi taedia menses!
  Quae tua post mores fingere cura fuit!
Haud ego sic meritae dubitem subiisse labores;
  Nec tibi fortunae sit timuisse minas.
Cuncta feram, intrepidusque ibo per tela, per ignes:
  Immutent animum tempora nulla meum.
Nam Poena ingratos vultu metuenda severo
  Aspicit, innumeris persequiturque malis.
At favet alma bonae Pietas servata juventae,
  Complet et omnigenis tecta beata bonis.
Non ibi, languentes frigent ubi corpore vires,
  Terret longaevos alba senecta viros:
Solamen jam in prole vident, columenque paratum,
  Qua current fausto tempora laeta pede.
Nobis ista forent: sed tu, Pater optime, tecum
  Condis funerea gaudia nostra domo.
At tibi felices annos, longamque senectam
  Fingebam, heu! votis credulus ipse meis.
Jam rerum cupiet, dicebam, ponere curam:
  Tum mihi pro caro sit vigilare sene.
Ante focum sedeat, illi studiosa ministret,
  Totaque jucundo pendeat ore domus.
Talis erit, sic ipse colam, sic taedia fesso
  Imminuam, laetos sic aget ille dies.
Heu! quae vana tibi, vel quos miserabilis annos
  Fingebam, o rapida morte perempte Pater!
Quid vidi, aut illa passus crudelius hora,
  Cum flevi ipse tuos horridus ante pedes!

Digitized by Google

480

Et Mater laniata sinus, labefacta dolore
  Implevit miseris tristia tecta sonis,
Exanimumque amplexa tenens heu! non tua corpus
  Decidit impresso languida facta toro?
Usque tua ante oculos, Genitor, tua dulcis imago:
  Illa mihi gemitus nocte, dieque ciet.
Ast in matre tamen nobis post funera vivis:
  Hoc de te cupidi non rapuere rogi.
O mihi cara mei superans pars una parentis
  Sis felix; servet Te mihi longa dies.

Jo. Facci

5830891

Digitized by Google

Digitized by Google

482

Digitized by Google

484

Digitized by Google

4×4

Digitized by Google

484

Digitized by Google

4-4

Digitized by Google